



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXIX. De Benedictione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

TITULUS XXIX.  
DE BENEDICTIONE.

Ritus Communis.

I. **S**emper datur Benedictio, præterquam in Missis Defunctorum.

II. Cùm dat Benedictionem, simplicem Crucem super Populum stans in medio Altaris facit, etiam si à latere & à tergo aliqui circumstarent, aut flecterent. Gavant. tit. 12. lit. Y.

III. Si Venerabile Sacramentum sit expositum, dicto Omnipotens DEVS; flectit genu, & postquam à latere Evangelij benedixit, non redit ad medium Altaris, sed in eodem latere se ad Altare vertit. Gavant, tit. 14. n. 15. Arnaudus in appendic. n. 11. Bauldrius p. 4. c. 26. n. 12. Corfettus p. 1. c. 15. n. 12. Gerlacus Vinitor p. 4. tit. 4. n. 18. quia cùm tantùm ideo non perficere circulum debeat (uti in communi Missa fieri solet) ne terga Sacramento obvertat; hæc autem tergi obversio satis caveatur, si dicto modo se in latere dextro vertat, non apparet ulla ratio aut necessitas, cur ad medium redeat & genuflectat; uti nonnulli faciunt Arnaudi pro se auctoritatem citantes, qui tr. 1. p. 4. tit. 8. n. 8. habet hæc verba: *In fine dat benedictionem à latere Evangelij, neque perficit circulum, sed revertitur ad medium, ne terga vertat Sacramento: Sed hic textus neutiquam obstat, quia imprimis non dicit, in medio genuflexionem faciendam esse; deinde verò in appendice cit. ubi ex instituto de hac materia agit, seipsum declarans hæc verba habet: In Benedictione Populo danda dicto Omnipotens DEVS genuflectit Celebrans, & in latere Evangelij benedicit: non perficit circulum, neque in medio genuflectit, sed in eodem latere conversus statim ad Altare signat librum seu tabellam Evangelij ultimi, non Altare.*

TITULUS XXX.  
DE EVANGELIO VLTIMO.

Ritus Communis.

I. **S**emper dicitur; & quidem plerumque S. Joannis, nisi Dominica aut Feria major à Festo, cui illa cedere debet.

impe-